



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CCXXXI. Bischof Henning von Kammin bestätigt die Stiftung der St. Lorenz- und Gertraud-Kapelle zu Neu-Landsberg, am 3. August 1449.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CCXXXI. Bischof Henning von Kammin bestätigt die Stiftung der St. Lorenz- und Gertraud-Kapelle zu Neu-Landsberg, am 3. August 1449.

In Nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis Amen. Henningus, Dei gracia Episcopus Ecclesie Caminensis. Ad perpetuam rei memoriam Specialem Deo famulatum Speramus impendere cum deuotionem fidelium presertim, qui circa augmentum Domini cultus versentur, adaugemus, quod quod tunc rite facere credimus cum ceteris nostris autentis et patentibus cauemus, ne ipsorum frustretur intentio et ea que rite faciunt et pro certis deputant usibus nostre confirmationis munimine stabilimus. Sane vidimus, audiimus literas discretorum virorum Proconsulum et Consulium Opidi noue Landisbergh, siue assignationem et donationem Viginti Marcarum usualium denariorum ad fundationem et dotationem cuiusdam Capelle ac perpetue Vicarie ante Valvam Czantoch noue Landisbergh non raras non abollitas sed Sanas et illesas et integras et omnis Suspicionis vitio carentes. In quibus nobis humiliter Supplicarunt quatenus dicte Capelle ac Vicarie fundationem et dotacionem ac presentationem et alia in dictis literis contenta auctoritate nostra Ordinaria approbare et confirmare dignaremur. Nos igitur prefatorum discretorum Virorum Proconsulum et Consulium inclinati dictarum Viginti Marcarum redditum donationem ipsi Capelle ac Vicarie factam et fundationem eius nec non reddituum predictorum comparationem, Juris patronatus reservationem atque Presentationem cum ceteris Clausulis scripturis expressis gratas et ratas habentes, eas quoque autorisamus et approbamus et auctoritate nostra ordinaria In nomine Domini confirmamus et instituimus predictum Laurentium Crüger presentatum, ipsique Capellam et Vicariam predictam cum omnibus Proventibus et pertinencijs suis conferimus et committimus in animam suam salubriter gubernandam, Mandantes vobis presentibus requisitis, quatinus prememoratum Laurentium Cruger dicte Capelle ac Vicarie in possessionem et omnium reddituum, proventuum et pertinentiarum ejus vice nostra et auctoritate nostra qua fungimur ducatis corporalem applicantes et apponentes predictam pecunie Summam et redditus inde comparatos cum spe augmentationis accedente predicte Capelle seu Vicarie in honorem Dei omnipotentis sueque genitricis Virginis Marie et omnium sanctorum nec non Beati Laurentij Martiris ac Gertrudis Virginis ante Valvam Opidi Noue Landisbergh consecrate apud eam jugiter permanuros. Inhibentes sub pena maledictionis eterne, ne Potestas secularis, aut quivis alius cujuscunque Status conditionisve fuerit, se de predictis redditibus contra Vicarij sui voluntatem aliquatenus intromittat, sed ipse Vicarie Vicarium pro tempore canonicè institutum ipsis libere uti et frui permittat, Sicut omnipotentis Dei indignationem et nostram vitare voluerit ulcionem. Datum in Castro nostro Cörlin, Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, die tercia Mensis Augusti, nostro sub sigillo presentibus appenso in testimonium premisorum.

Нащ Навынскы Cod. dipl. Litth. С. 333.